



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Ioannis Howler. n. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

toris, Confessarij, Monitoris, & annis deinde tredecim in adolescentum conuictu subregenti officio est perfunctus. Et durauit is quidem ad annum vsque millesimum sexcentesium undecimum, Coadiutoris spiritualis formati gradum virtute & doctrina illustrans: atque annos in Societate cum numeraret quadraginta septem, ætatis prope septuaginta, in senectute bona, quam animam cum fructu ad errantes ciues suos in viam reducendos ponere potuisset, Deo reddidit Cælestibus Ciuibus inle-
rendam.

Richardus
Storey.

XIV. Eundem Coadiutoris spiritualis gradum virtute & laboribus, varijs in Prouincijs, exantlatis, ornauit *Richardus Storey*, Sarisburiensis. Nam Decimo sexto ætatis anno adscriptus in Societatem Tornaci in Belgio, inde per diuersa Collegia delatus in Germaniam, Classium inferiorum præceptis tradendis pluribus annis infudauit. Tum vocatus Lauretum, atque inde Florentiã, demum Viennæ Austriæ confedit, vbiq; & propriæ abnegationis, & humilitatis, virtutum denique solidarum quæ ab vnoquoque nostrum requiruntur, expressa linquens vestigia) vt de eo loquuntur annuæ Vienneses. Tertio deinde expeditionibus Hungaricis aduersus Turcas implicitus, cum ob singularem caritatem, quã cunctos complectens singulorum necessitatibus seruebat, omni ordini esset in delicijs, per incredibiles labores, & indefessum proximi iuuandi studium, melioris vitæ adiit hæreditatem, decimo octauo Septembris anni millesimi sexcentesimali. In diario quod sibi viuens fecerat industrius negotiator animarum, repertus est nouem mensibus, qui fuerunt eius vitæ postremi, notasse exceptas vulgi confessiones ter mille ducentas octoginta octo, non adnumeratis pluribus seu discipulorum nostrorum seu aliorum, qui totius vitæ rationes eo tempore apud ipsum deposuerant.

Annua
vienneses
1600.

Ioannes
Howlett.

XV. Similibus per Transyluaniam expeditionibus destinabatur *Ioannes Howlett* ex Rutlandia oriundus, cum Roma profectus est anno supra sesquimillesimum octagesimo sexto. Admissus fuerat Louanij anno septuagesimo primo, quo tempore *Leonardus Lessius* inter Tyrones exercebatur ad ea quæ postmodum in Societate & gessit & scripsit eximia. At noster duos supra viginti annos ætatis recensens antequam natiui soli inclementiam fugeret, in Philosophia magister fuerat renuntiatus. Tum Societatem complexus, Theologiam audiuit Duaci: atque deinde decem annos continuos partim in Belgio, partim per Germaniam, Grammaticæ, Rhetoricæ, literis Græcis & Hebraicis, Mathesi etiam & Ethicæ, & denique præceptis de conscientia tradendis incubuit: donec Vilnam Lithuanicæ delatus altero post anno defunctus est.

XVI. Duo etiam *Rastalli*, *Ioannes* & *Edwardus* ex agro Glocestrensi admissi Romæ anno sexagesimo octauo, cum nondum aperta nostris esset in Angliam via, Germanicæ iuuandæ destinati sunt. Et *Edwardo* quidem
inter